



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 55. Petitio Philippi Majoricani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

Pifas proficiscens in hoc itinere Doctorem Marsilium Patavinum amisit in loco, cui nomen Mons Altus, mortuum. saecul. XIV.
A.C. 1328.
 Rotetum 15 Septembris, Pifas vicesimo primo advenit: ubi magna exceptus lætitia per hunc annum reliquum cum Aulicis manebat suis.

§. LV.

Petitio Philippi Majoricani.

Jacobi Majoricæ Regis tum clavum tenentis patruus & antea tutor Philippus Papæ libellum supplicem obtulit, in quo se S. Martini Turonensis thesauro præfectum nuncupat, & hanc in sententiam loquitur: Evangelica non præcepta solum, verum etiam consilia secuturus Vad. n. 29.
Rayn. n. 83.
 elegi S. Francisci regulam, ad quam me voto adstringere volo. Proinde supplico Sanctitati tuæ, ut mihi meisque sociis præsentibus ac futuris eam liceat observare pure ac simpliciter sine interpretatione, extra societatem hodiernorum Fratrum Minorum, & citra obedientiam Ministris Ordinis præstandam. Quamquam non carpo illos, qui expositiones declarationesque Summorum Pontificum receperunt: cum in via Dei alius sic incedat, alius aliter. Oro etiam, ut ego ac socii mei abdicatis rebus fluxis
Histor. Eccles. Tom. XXIII. Y mox

Sæcul. XIV.
A.C. 1328.

mox ad professionem regulæ admittamur, quia omnes jam in vestibus profanis per annum & amplius vitæ religiosæ tirocinium posuimus.

S. Francisci testamentum æque ac regulam colere cupimus, nec de stipe modo, sed etiam ex labore manuum vivere; nusquam sine permisso Præfulum collocare sedem, nec aliquam tenere diutius, quam placuerit Episcopis, iisque, qui nobis eam tradiderint. Finit hoc modo: Quamvis indignus sim perfectione, quam expeto, indignius tamen foret eam negari mihi: & quia hanc perfectionis semitam Spiritus Sanctus commonstrat, illi, qui vitæ Christianæ pretium noverant, haud ambigerent, quin hæc repulsa venisset a spiritu malo. Quam si accipimus, quid restat? Audiet Coelum, quæ loquor: audiet terra verba oris mei. Papa nullam hujus postulationis rationem duxit. Nempe S. Francisci regula post experientiam annorum centum non credebatur ad litteram servari posse. Id ostendere videtur consensus recusatio in se spectata; etiamsi ad eam impellere Papam potuerit libelli supplicis conclusio parum reverens.

Deut. 32. v. 1